

## §. 1.

**Q**uare utramq; hīc facit paginam revelatio, ibi de seipso testatur DEUS, & qvod sit, & qvis sit, & qvalis sit erga creaturas. Sic enim sacra memorat Scriptura, statim post extructam hanc cum omni apparatū rerum mundanarum machinam variā manifestatione conditorem se patefecisse hominibus; utpote Protoplastis in Paradiso aliquoties, Noæ ante & post diluvium, Abrahamo decies, Isaaco bis, Jacobo septies, Mosi & Prophetis sēpī<sup>9</sup>, nec non aliis per visiones & diurnas & nocturnas in somno, nonnunquam sub specie ignis, ut Mosi in rubō ardente, (Exod. 3, 3.) itemq; universo Israelitarum populo in vertice montis Sinai, (Exod. 34, 1.) plerumq; tamen formā humanā, simul etiam sonō perceptibili cum iisdem colloquendo. Qvæ tamen seu apparitiones, s. voces merè fuere commutatitiæ, & per qvandam *omnipotens* ad tempus factæ, non divinæ naturæ propriæ, cùm alias in sese sit maneatq; Spiritus simplicissimus, infinitus & planè in hac mortalitate invicibilis: Deus non per substantiam suam, in qvâ invisibilis & immutabilis, sed per creaturam sibi subiectam mortalium oculis apparuit, cùm voluit, exponit Augustinus. Id qvod ipse itidem haud obscurè significavit, negando Mosi obnoxius petenti verum faciei aspectum, (Exod. 33, 20. 22.) Et Christus, Deum esse Spiritum, clarè afferit, (Joh. 4, 24.)

## §. 2.

Insuper, esse Deum, nulla non in codice Biblico clamat linea, unde etiam solidè demum Theologo est probanda ac premenda ejusdem scientia, nec tanquam è Philosophiâ, ceu inferioribus disciplinis, mediante habitū naturali parta, præsupponenda, & ulterius modò illustranda, qvod falso sibi aliisq; nuper persuadere tentârunt Novatores Helmstadienses.

## §. 3.

Deinde esse unum essentiâ, trinum verò subsistentiâ, plus simplici vice passim non innuitur, sed inculcatur. Moses sanè articulatè vociferatur: *Audi Israel, Dominus tuus Johovah, unus est,* (Devt. 6, 4.) similia habet Devt. 4, 35. nec non Jesaias c. 44, 16.

C

Pau-